litates eius, iudicia reſciſſa, ſuppoſitos aut etiam palàm immutatos decretorum officiorum codicillos. Turpe facinus & audax, cæterùm proprium nepotum; qui ex precaria auctoritate Principem indicabant ſtolidum atque fatuum. Unde Tacitus, 12. *Annal.* cap. 3. infit: *Nihil arduum in animo Principis ſtupidi, cui non iudicium, non odium erat, niſi indita & iuſſa.* Cavit Cleomenes, *qui*(ut in eo refert Plutarch.)*cùm Rex ſimul dici & haberi vellet; haud uſus ſcribis & miniſtris, qui diù multumque rogati, vix tandem per literulas reſpondere dignantur: ſed ipſe ſeſe ultrò venientibus aderat: petentibus comiter benignèque reſpondens, ſummà humanitate loqui & audire paratus.* Propter huiuſmodi nepotum inſolentem audaciam Dynaſtis Theodoricus præſcribit prudenter regiminis formam. *Refugite* (inquit apud Caſsiodor. d. 1. *Epiſt.* 30.) *tales familiares, qui ſint iniuriarum miniſtri: qui honori veſtro nitantur adſcribere, quod delinquunt: & dum levitates ſuas aſſerere cupiunt; veſtram reverentiam implicare contendunt. Vos enim quos ſemper gravitas decet, nolite truculenter perſequi inania: legum ratione calcatà deſperatè perſequitur innoxios ſervilis furor armatus.* Hæc & alia incommoda, dum imagines Præſidum dedicantur in figuras, quia elevantur in ſtatuas, derogantes auctoritati Præſidis, ex eius turpi abuſu auctoritatis; captantes in adoratione cenſum, & cuncta pravè diſponentes ad lubitum: igitur licèt iuſta æquaque à Præſide diſponantur; faciunt ſemper(ut nepotes) quicquid volunt. In dedecus dominantis ſufficiuntur effigies; ut poſsint inhabiles xenijs per adorationem ingredi, & merita vacur à vacuis ſtatuis egredi: quin hiſcant labia, nec audiatur verbulum; quoniam vel turpe Præſidis, rumpantur licèt, adorabunt ſimulacrum. Non enim in eum intendunt, ſed in eius imaginem; igitur tunc mirantur Superioris Superiorem.

Tacit. — Plutarch. — Caſsiod. — *Verè dominis dominãtur*

12 *Cadentes adorate ſtatuam*: dicit furiosè Nabuchus. *Cadentes* æquivocum eſt: & ſignificat ruinam, ſine fulcro caſum; & adorationis modum. Si cadentes, & proni in fatalem ruinam, *adorate ſtatuam.* Imago eſt Principis, ad cuius ſpeciem commovetur orbis. Illa efficiet, ne cadentes cadatis: igitur ſi lapſus ex flagitioſo crimine; ubi aſpectus ſtatuæ, crimina nullius momenti: imò conciliabunt amiſſam in honorem auctoritatem, per ſtatuæ ridiculæ adorationem, in obſequium ſtupidi ex poteſtate Principis; quia in ille repræſentatio totius regiæ poteſtatis: & qui uti turpem renuerit adorationem; mittetur ſtatim in ignivomam fornacem. Hoc effugium patet ſceleri, quo neceſſarium iuſtitiæ fulmine cadere. Unde ſi in ſoſpitatem dedicata imago micat; ne cadens cadat adorat: etenim in commoda abiectè etiam adorari debet; quicquid furioſus Princeps læſa phantaſià ſomniaverit, vel vigilanti placuerit. Quæ ſententia Nabuchi, fuit etiam diaboli. Aſſumpſit Chriſtum in montem excelſum valdè, ut oſtenderet gloriam apparentem mundi; dixitque illi: *Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraveris me.* Frequens diaboli aſſumptio, pectoris ambitu: in culmen aſſumens elevat; ſed ut elevatus cadat, & præcipitem allidat. *Tibi dabo* Quidni *Do*: Signat eorum diabolicum conamen, præ poteſtate quærentium adorationem: equidem ut concilietur in venerationem gratia; omnia nihil & promiſſa omnia.

Verſ. 5. — *Eorũ ſide regentium diſſolutum dominiũ.* — Matth. 4. 9.

Pollicitis dives quilibet eſſe poteſt.

Ovid.

13 Pende (dum dæmon impellit aſſumptos in vanitatem) adorationis aſtu inſtructæ, conditionem. *Si cadens adoraveris me.* Quorsùm dicit *Me*, in adoratione ſui? Omnia daturum promiſerat, & in adoratione de adoratione dubitat; callens hominum ambitionem, reſpicientium vel à longè dignitatem: etenim cùm intuitus adorationis ſit in commoda; non adoratur perſona conferentis, ſed promiſſa. *Cadens, & adoraveris me*? Utique: qui ſic iacent, numquàm adorant ex corde. *Si cadens adoraveris me.* Curvitas corporis non eſt adoratio; ſed exterius adorationis ſignum. Qui dicit *Me*, cultum ſolicitat verum: dicitque ſimul *cadens*; quoniam in diabolicè tumidos, adorationis ſignum amplioris æſtimationis: ſiquidem cum pompæ exteriori ſtudeant & adorati, & qui adorant; in ambitu celſitudinis promiſſæ & adorationis, pluris habent oſtentationem pompaticam poteſtatis. Denique. *Si cadens adoraveris me*: dicit dæmon. Quis auderet niſi cadens? Obijciuntur ambitioſi in nefas quodque proiecti; ne ab aſſumptione cadant, vel cadentes, adoratione ſurgant: quandoquidem ne munus evaneſcat, vel in optatam muneris erectionem; adorabunt etiam dæmonem.

Factioſi ſectãtur dignitatem, non auctorẽ. — *Miniſtri capiũtur ſumme adorationis ſpecie* — *Et ambitioſi propter dignitatẽ, adorabũt & dæmonẽ.*

14 Quid è tot embolijs? Tricæ. Qui potens, quod diabolus, facit: poſt adorationem adorantibus illudit. *Cùm ſibi flagitiorum nihil non permiſiſſet* (ait Lamprid. de Heliogabalo, ex quo Eraſmus in *Apophthegm.* lib. 6. n. 6.) *elatus tanto rerum ſucceſſu; dicere ſolebat: Neminem Principum*

Lãprid. *Illuduntur, à quibus obſequebãtur*

pum

pum ante ipſum ſciſſe, quid ſibi liceret. Siccine in ſumma poteſtate cum aſtu, univerſi adulatores patent ludibrio: & dum meditata feliciter dolis, Principis cadunt in ſinum; qui blandiebantur dignitati, exponuntur in opprobrium. *Callidus* (infit Senec. 1. *Benef.* cap. 8.) *non difficilem aditum præbet immodica petentibus & cupientibus; ſpeſque improbas, nihil re adiuturus, verbis fovet. Peior, qui linguà aſper, vultu gravis, cum invidia fortunam ſuam explicat. Colunt enim deteſtanturque felicem: & ſi potuerint; eadem facturi, odere facientem.* Se viciſsim fallunt, viceſque opportunitate rependunt. Utroſque pingit Hieronymus. *Sibi ſcioli* (ait, *Epiſt.* 4.) *pomparum ferculis ſimiles, procedunt in publicum, ut caninam exerceant facundiam. Alijs ſublatis in altum humeris; & intra ſe neſcio quid cornicantes, ſtupentibuſque in terram oculis, tumentia verba trutinantur; ut ſi præconem addideris putes incedere præfecturam::: Ne credas laudatoribus, imò irriſoribus aurem ne libenter accommodes: qui cùm te adulationibus foverint, & quodammodò impotem mentis effecerint; ſi ſubitò reſpexeris, aut ciconiarum deprehendes poſt te colla curvari, aut manu auriculas agitari aſini, aut æſtuantem canis protenas linguam.* Lege Dialogũ Raviſij Textor. titul. *Duo Thraſones*, & Comœdiam, *Moria.* En indiſſolubilis fide conſtanti amicitia, & amoris mutui ſtudia, verſipelliter uſa, ſed ambitionis ac potentiæ obcæcatione non cognita. Necdùm ſcenæ ſiparium aperui, quia protrahitur Didaſcalia: verùm faciam in ſequente. Infatuatis ambitioſe:

Senec. — *Embolium adorantium & adoratorum.* — Hieronym.

Et cogeris voti neſcius eſſe tui:

Ovid. 1. de *Art.* v. 66.

DIDASCALIA III.

Quænã molimina Præſidis, in ampliorem libertatem dominationis?

1 NOnnumquàm qui in honoris faſtigium dignè vel indignè aſſumitur, ut prodigium ac decus dignitatis, ſpectabilis & plauditur & applauditur; quoniam ſubditorum ſingulis blanditur mulcimen cogitationum, fore ſibi præclarè, magnoperè benemeritum: etenim licèt præcedens cognoſcatur calamitatum depulſor, felicitatis invector,

Cur Præſes ingrediens utcumque plauditur?

Succeſſore novo vincitur omnis amor;

Ovid. 2. *Remed.* v. 66.

Quamvis Tiberium Caius, hunc Claudius, Claudiumque Nero ſequatur: præmittit enim commendationem novitas, ac æſtimationem ipſa ab electo dedecoranda dignitas. *Nihil dignitate dignus*: ait Valer. Maximus, *lib.* 3. *cap.* 7. n. 1. quapropter à multis pro meritis ſolicitatur dignitatis auctoritas; quoniam indignorum merita dumtaxàt dignitas. Cognoſcitur aliquando ſucceſſor pravus: verùm nihil ipſa dignitate dignius: & aſſumptio in thronum maximoperè extollitur, vel plauſum mereatur vel non mereatur, quippe unuſquiſque accipit, præut ſpes pingit, & commoda concipit.

Valer. Max.

Mitiſsima ſors eſt
Regnorum ſub Rege novo.

Canit Lucan. 8. *Pharſal.* v. 452. De cometis infit Claud. Dariot. in *Princip. Aſtrolog.* §. 5. haud immediatè malevolum, ſeu malignum manifeſtare influxum; ſed poſt triennium vel quatriennium. Stupent homines ad illorum ortum, cùm videant terreos vapores lucidè elevari ſursùm. Haud ſecùs in multorum aſſumptione ex conditione cometæ: aſſumptio lucida plauditur, verùm influxus abſconditur, etenim an bonus, vel malignus, non cognoſcitur in ortu, ſed in exitu.

Lucan. — *Cur cometæ tũc cõfertur?*

Talia ſignificant lucentes ſæpe cometæ:
Subſiſtũt, pariterque cadunt fulgẽte cometa.

Manil. 1. *Aſtr.* 10. à v. 191

Plauſum dumtaxàt meruit, cuius in curſu ſtella facẽ ducens magna cũ luce cucurrit.

2 Siccine totius curſus illuſtratio ſplendet mirè in Aſſertore N. *Cùm appropinquaret Iericho, cæcus quidam ſedebat ſecus viam*: ait Lucas, cui Dominus benignè ſtatim lumen conceſsit. *Confeſtim vidit.* Aliter refert Matthæus: *Egredientibus illis ab Iericho; ecce duo cæci ſedẽtes ſecus viam::: Ieſus tetigit oculos eorum, & confeſtim viderunt.* Unde duorum illuminatio, ſi uni tantùm claritatis oculorum reſtitutio? Proceſsit Archiater cœleſtis de claritate in claritatem, & illuxit ad illuminationem. Unum miraculosè videre fecit, cùm Iericunthem intraret: duo cùm egrediens exiret. Exemplar obijcitur in Superiorum proceſſus, dum ægros viſitant ſubditos; unde meritò conciliétur in dignitate plauſus, præclaris geſtis: igitur iurè plauſibilis, quiſquis ingrediens miracula patrat; & egrediens mirabiliter multiplicat. Vernaculè: *Digno es, que ſe celebre por aſſombro, un Superior, que hace milagros al ſalir, como al entrar: y aun mudandoſe los tiempos, con el tiempo multiplica los milagros.* In Sole poſuit tabernaculum ſuum. Si umbra

Luc. 18. 35. v. 43. — Matth. 20. 30. v. 34. — *Quis Præſes ſpectabilis?*

pro-

protectio ſublunatium eſt ; Solis quùm in Cenit ſpendoris æqualitas, in ortu & occaſu ampliores conficit umbras. Tres illuminati ſecuti ſunt medicum. Primus *ſequebatur illum, magnificans Deum.*

Ubi ſup

Poſteriores *viderunt,& ſecuti ſunt eum.*

Quibus dotibus ſubditos ad ſe trabit?

Dicunt ſtudia, quàm grata ſubditorum pectora: etenim dignus imitationis, & obſequio gratitudinis, in culminis aſſumptionem; qui in exitu & in introitu excutit medicus à ſubditis cæcitatem. Hunc ſequuntur? Cur alios non ſequebantur? Quia non ſolùm prætcribant; ſed nimis increpabant, ne ſanarentur: hoſque relinquunt, qui Superiorem illuminanter ſectantur; quoniam etſi ductores præ regimine erant, nec ingreſſu nec egreſſu ullam de illis ſolicitudinem viderant. Tota cura de faſtu atque luxu dignitatis, nulla (niſi ad commoda) de ſubditis; in quorum regimine, grallis & crepundijs procedunt, ſimulque incedunt inflati.

3 Cauſa oritur à philautia phantaſià tumidà; ſed ex ſubditis potiſsimè, unde intumeſcat phantaſià, abutens adverſus eos poteſtate, per quos acceperat poſſe. Eligunt plerumque non merita, honore digna; ſed obiectum per factionem, ex quo ampliorem cogitant aucupari utilitatem: qui quidem, licèt diſsimulaverit calliditate pectus; eſt in cute malignus, malus, malevolus, fallax, veterator, impoſtor, bombalobombax, rapax, ſceleratus, delirus, perfidus, & in propoſitis ex propoſito caperatus & furioſus; dirior laniſta, quò maior hypocrita, qui nec ullum pilum viri boni habeat vel in ſpecimen; ſed aſtutam vapido ſervet ſub pectore vulpem:

Pravorū aſtutiæ, pro omnimoda poteſtate

& fronte politus, pelliculam veterem teneat in tragulam vafer, nigerrimus. Eligitur, aſſumptio extollitur, ſenſim tendit in tyrannidem, ultra iura extendens iuriſdictionem; ut totum regimen ſit ad lubidinis amuſſim, & independenter facere poſsit, quicquid & quomodò prolubio effreni placuerit, plenum acquirens, ſeu rapiens circumventione dominium; ex patientia, vel modeſtia, vel aſſenſu ſubditorum. Arguitur internè extra leges operari, repagula iuris inſolenter confringi; & ne malè audiat, ad quamlibet temeritatem auctoramina cogitat: ut cùm claruerit exceſſus, ab illo callidè infametur Senatus; quaſi ni huius inſtantia reluctantem urgeret, ille nequaquàm feciſſet: ſedenim ſemel decretum, quodcumque ſcriptum, ſcriptum. Probrum ipſe patietur & dignitas, ſi revocatur temeritas: errorque potior, quàm quod polluatur Superioris decor: acta ſanè non legi addicta; ſed illi ex tempore viſa neceſſaria providentia, quæ notantur uti abſurda. Multoties prudenti regimini, ars eſt recedere ab arte. O Iupiter! Nec ægidem moves, nec fulmina vibras? Haud quieſcit amplioris poteſtatis cogitatio.

Tu tibi liber homo
Nec malè coniectas.

Iuvenal 5.v.161

4 Exponit aſtu Senatui quaſi errare à lege nollet, quod malè mente concepit. Interrogat, Si licitum? Mancipia auctorata dicunt: Placitum. Corruptela colore perfectioris regiminis aſtutè proponitur.

Senatur conſulit dolore, ut conſulat ſibi.

Univerſa congregatio ſuffragatur, conſentiens in ſervitutem, propter ultrò conceſſam ampliorem dominationem: pſeudoluſque Præſes ridet; quippequàm quæ turpis ſubiectio ſub lege iacet: equidem cùm præmia & honores ambiant, & à dominante pendeant; ne vel leviter diſpliceant, etſi contrà & lex atque cœlum clamet; clamant fatuè delirio: *Si libet, licet.*

Spartiā.

Vede *Tautolog.* 2. *n.* 1. Ineptiæ quæ blaterantur, ſine fronte ſubſcribuntur.

Proiectio ſervitis, atque vilis ſubditorum.

Molimina meditatæ abſtruſæ malitiæ, ob blandimen iam ſunt leges, ad arbitrium Superioris voluntatis; cuius ſumma ſine auctoritate auctoritas, & adeſpota poteſtas. Unde cùm lege conſtituerit ſuffragatores Superiori ſubditos; ſe inveniunt miſerè Superioris ſervos: etenim lenocinio ſomniati honoris, volitantis atque vellicantis culminis; ſtatui perfectionis congruentem, dedititij in ambitus pœnam, amiſerunt libertatem. Voluntariè præ ambitione, & artificio ſutelæ, dederunt in manum de qua non poterunt ſurgere: ſiquidem pro libertate ipſæmet leges contendunt; & ſubditi ob ambitionem graviùs ſervituti mancipantur: quùm pridem prudentia (nulloque modo tyrannica inſolentia iactabunda)

——— *Regem dedit, qui fœdere certo*
Et premere & laxas ſciret dare iuſſus habenas.
Et mulcere dedit fluctus, & tollere ventos.

Virgil. 1 Æneid. v 66.

5 Apta prorsùm metaphora, quippe quiete perturbatà ex contentione ſurgit ſtatus procella: & nihil auditur, reſonâtve in politica deaurata regiminis, præter iurgia ac pectoris tempeſtates. Quanta peſtis in ſæculari, facili declivitati, Republica, dum valet ingredi in clauſtra!

Huiuſmodi emolimina, plena mirū corruptela.

Neceſſe eſt (infit Glorioſus Doctorum Doctor theodidactè Benedictus, *S. Regul.* cap. 65.) *ſub hac diſſenſione animas periclitari: & hi qui ſub ipſis ſunt, dum adulantur partibus, eunt in perditionem: cuius periculi malum illos*

S. Benedict.

reſpicit in capite; qui talibus in ordinatione ſe fecerunt auctores. Hinc ſuſcitantur invidiæ, rixæ, detractiones, æmulationes, diſſenſiones & inordinationes. Siccine enim navis ventorum contrarietate, ad ſyrtes & naufraga ſaxa videtur allidi: &

Iudic. 9 à 1.

quæ clavo & fœdere fixo, ſub legibus florens habere poterat regimen, factionum tempeſtatibus tendit in excidium & aloſim. Relictis benemeritis atque principatu dignis (quia ex patria, & maiora intruſis electoribus arridebant commoda) cives Sichem truculentum, delirum, atque nothum, Ducem elegerunt per factionem. Sub haccine animorum diſpoſitione, & ad nefas promptitudine, eligitur ex abrupto quod congruit, haud quod dignitatem decet. Scrutemur incommoda, quæ protrivit calliditate inſolentia iure factionis; quin niſi in dedecus reſpiceret leges. Quid non faceret in molimen Autolicus, Spurius, ambitioſus & temerarius?

Iudicium inſolità trepidum cinxere coronà,
Atque auſo medias perrumpere milite leges.

Lucan. 1.v.321

6 Electio Ducis ius erat totius cœtus Seniorum Iſrael (Adi Abulenſ. in *Deuter.* 17.q.7.& Petr. 2. de *Hebr. republ.* cap. 9.)

Verſ 6.

Regimen in una è multis natione, peſtis reipublicæ.

Sichimitæ ſibi arrogarunt per vim huiuſmodi ius. Erat una è nationibus, qua conſtabat Ephraimica tribus; etenim Deus è nationibus congregavit eos: patuitque imperium tyrannicum, in reipublicæ exterminium; quo una ſola è nationibus Ducem auderet eligere, quod dumtaxàt congruebat univerſæ Seniorum congregationi. Hic fuit conatus dignitatem ambientis, ut liberè inſaniret conceſsione poteſtatis.

Verſ. 2.

Quid vobis (inquit) *eſt melius; ut dominentur veſtri ſeptuaginta viri, an ut dominetur vobis unus vir?* Haud occuluit arrogantiæ molimen: minimè ambivit regimen, ſed plenam in cives ſubditos dominationem; ne pòſt eſſet afflictorum ullus queſtus, cùm ab illis & per illos eſſet in thronum aſſumptus. *Unus vir.* En fucus, ut ſubdolè & callidè introduceretur tyrannicè ſervitus: ad ſeque unum ſolicitat poteſtatem trahi, in molimen inſolentiæ;

Qua fovetur tyrannis, & præteruntur leges.

quandoquidem ſatagebat blandè, ſed ſine fronte, regimen plenum, plenam ſpectans congregationem; ad unius tricis & technis reducere voluntatem. Reduxit aſtu: & ut poſſet perficere, quod conceperat dolo. *Dederunt illi ſeptuaginta pondo argenti, de fano Baalberith* (quod idolum dicebant Ethnici *Iovem Fidium, & Iovem lapidem,* ut videbitur in *Ephemer.* 5. *Iun.*) Hæc utique ſunt ambitionis officia: expilare videlicèt ſacra, & emere aſſeclas, ut ſi non lege, armis perſiſtat auctoritas.

Verſ. 4.

Conduxit ſibi ex eo (ſubditur) *viros inopes & vagos, ſecutique ſunt eum.*

Socij Præſidis factioſi, nefarij.

Inſignes aſſeſſores! Et tyrannidis vindices. Unde Hebr. legit: *Vacuos & leves.* Ar. Montan. *Perditos & vagos.* Pagnin. *Cerebri impotes & inſtabiles.* Lyran. *Cervicoſos.* Septuagint. *Stolidos.* Denique Maluend. *Vacuos, nudos, præcipites, præcipitantes.* Hiſce ferè dotibus decorantur factiones, rutilantque nationum ſublimitates; è quibus egregia ac præclara cogitatio, ut patet præſenti articulo.

Verſ. 5.

Venit in domū patris ſui (nec terruit memoria à quo acceperat eſſe) *& occidit fratres ſuos.* Exitus comprobavit, quorsùm poteſtatem ambivit; igitur haud thronum adipiſci, cordi, ut ſuorum aliquando ſerviret utilitati; ſed ut dominaretur inſolenter ſine obice. Non ut fratres ſub legibus ſervaret, ſed ut illex interficeret: faceretque regiminis ſocios, vacuos meritis, plenos vitijs, inſtabiles, cerebro impotes, vagos, nudos, perditos, leves, præcipitantes, præcipites; quos haberet ad nefas tamquàm fratres.

7 Per hæccine geſta, ambitæ dignitatis conceſſa faſtigia; quippe poſt tyrannum electores *inclinaverunt cor;* dicentes: *Frater,* ideſt, patricola ex noſtris eſt.

Verſ. 3.

Merita ex patria, demerita.

Congregati omnes viri Sichem, conſtituerunt Regem Abimelech. Exploremus exitum.

Verſ. 6.

Habitatores Sichem cœperunt eum deteſtari::. poſuerunt inſidias adverſus eum in ſummitate montium: exercebant latrocinia; agentes prædas de prætereuntibus.

Verſ. 23 A v. 25.

Nonne in Principem Abimelech elegerunt, & in throni aſcenſionem adiuvarunt? Quomodo cùm patrigena, & ex ſuis, tanta familiaritas, in implacabiles erupit inimicitias; ut quem elevarunt Magnatem, in eligentium miſerrimè caderet deteſtationem, inſidiantes illi? Quia evanuit finis, ob quem illum elegere. Ex eius exaltatione expectabat inſatiabilis factioſorum aviditas, tutò ac impunè poſſe à prætereuntibus in quæſtum agere prædas, cives per vim expilare, vel per induſtriam emungere: & uſque in deteſtationem in dominantem proceſſerunt odia; quoniam compeſcebat aſſeclas exercere latrocinia.

Deteſtantur aſſeclæ factionis Præſidē, ſi nō permiſerit crimen.

Hinc inde & ultrà ſerpſit mutua indignatio; cum Princeps vellet uti credito imperio (cuius pœnitebat corditùs electores; cùm ex illo nihil ſibi viderent utilitatis) quod quidem illi ab illis conceſſum per legem, eligentibus eſtò per blandimen, Superiorem; ita quòd uni & ſoli poteſtas eſſet, ut faceret, quodque & quo-

quomodò placuiſſet. Huiuſmodi conditio pravæ atque in pravo, electionis, inſidiabatur beneficio libertatis. Fit iurgium, creſcit odium, & uſque in Præſidis deteſtationem venit; quoniam fallacijs & plicis tyrannidem introduxit, ut non eſſet poteſtas, niſi regentis voluntas: in deteſtationemque conversà factionis tota amicitia; quin quantumvis rumperentur excutere poſſent onera: igitur Præſes, tametſi ſubdolus, exigit ſubiectionem ſecundum legem; & ſubditi dolent contractam voluntariè ſervitutem.

Similis amicitia deſinit in odia.

8 Quid non faceret, qui ſedulus aucupabatur poteſtatem, ut fieri valeret? Quid non improbus, Kappa duplex, ſceleſtus, plauſus per electionem Maximus, Optimus? Huiuſmodi veteratores, bilingues, queis duplex cor, malo ſuo læti ſunt. *Nemo noſtrum* (ait Cordubenſ. Stoicus, *Epiſt.* 59.) *in altum deſcendit: ſumma tantum decerpſimus. Illud præcipuè impedit; quòd citò nobis placemus. Si invenimus qui nos bonos viros dicant, qui prudentes, qui ſanctos; agnoſcimus. Nec ſumus modica laudatione contenti: quicquid in nos adulatio ſine pudore congeſſit; tamquàm debitum prendimus: optimos nos eſſe, ſapientiſsimos affirmantibus, aſſentimur; cùm ſciamus illos ſæpe mentiri: adeòque indulgemus nobis, ut laudari velimus in id cui contraria cummaximè facimus. Mitiſsimum ille ſe in ipſis ſupplicijs audit; in rapinis liberaliſsimum; in ebrietatibus ac libidinibus, temperatiſsimum. Sequitur itaque ut ideo mutari nolimus; quia nos optimos eſſe credimus.* Si ſiccine intumeſcunt criſtæ in ſtudioſis modeſtiæ; quid in turgidis, quorum auctoritas extollitur, Dijs æqua poteſtas, qui digito putantur tangere poſſe cœlum, ac primi Mobilis ſuſpendere curſum? Solem iuvare facibus, Herculis habere cothurnum, Ioviſque cum fulmine ſolium; ante pilos ſapere, & ante barbam docere prudentiam poſſe? Ante honorem ut Saul de ſe proiectè ſentiebat: poſtquàm aſſumptus cuncta ſibi arrogat. Pridem plus ſibi credebat, quàm alijs; plus alijs, quàm ſibi in & ex crotalis celſitudinis, auribus attonitis. Non ut audit, de ſe ſentit; ſed falli, dicit: etenim quæ è blandimine expoſita, arbitratur, etſi incognita, vera; quùm à tot & tantis ſine dependentia dicta: aliàs ſine meritis egregijs;

Senec. *A præſide tumido credita, quæ ab adulatione ficta.*

Et quanta arrogantia!

Nec eſſet patientia laudis.

Manil. 4 cap. 1. v. 141.

Non ita Præſes deſiperet, ni laudibus ineptiarum ſubditus lenocinans infatuaret, folleſque repleret vento, ut tumeſcerent; & nihil aliud niſi vanitatem flarent: non enim exercerent in regimine tyrannidem, nec ſubſidiarij deplorarent libertatem in miſeram ſervitutem; ni permiſiſſent legibus atque legibus illorum extendi iuriſdictionem: ita ut in maximis & minimis; cuncta ad votum & ſub voluntate Præſidis. Modò Vocales non conſulerent ſibi, ſed rationi, & dignitati;

Cauſa tumeſcentiæ, ſubditi ipſi.

Ceſsiſſent leges Erebi.
Non humilis labor eſt.

Lucan. 6. v. 635

9 Haud recedunt pudore repumicati frontes: ſunt enim diabolo mille nocendi artes: & ut accinit Claudian. de 4. *Conſul. Honor.* v. 362. Deauratur in poteſtatem diverſo fuco, quaſi faſtidioſa auctoritas,

Sed eſt polluta poteſtas.

Claudian.

Unde ergo polluta? *Timebantur ingenia* (inquit Tacit. 4. *Hiſtor.* cap. 44.) *& potentia exercita malis artibus*: quibus tenaciùs regiminis tractantur habenæ, affectatà remotione; nihilque, cuncta moventes, videntur habere. Camillus (uti in eo refert Plutarch.) hoc uſus ingenio. *Senatus* (ait) *Magiſtratibus ſublatis, Dictatorem fecit Camillum: qui talem ſe præbuit, quaſi unus imperaret; ut auctoritas publica, gloria privata eſſet, Ab ijs qui fortunas ipſius laudabant, ad inſolentiam evectus, faſtumque maiorem, quàm qui in homine magiſtratum civilem ac legitimum gerente, ferri poſſe.* Nihil videbatur agere titulo publicæ gloriæ; & faſtu inſolenter totius Senatus gaudebat auctoritate: ita ut cū diſpliceret interventio, quippe ex illa nullum commodum; optantem, quaſi nil poſſet, remitteret ad Senatum. Verùm ſi ſuorum, ſuaque intereſſet, vel factioni aliquo modo micaret; aſtu diſsimulato ſedulò perficiebat, per eos quos in Senatum callidiſsimè introduxerat. Ars ſanè in faſtoſis caſca, quæ pridem etiam Lacedemone viſa. *Inter populares* (ait idem in *Cleomen.*) *utcumque ſors tuliſſet, humaniter benignèque verſatus, charus acceptuſque erat: ſolum hunc dignum, qui ab Hercule natus exiſtimetur, dictitantibus. Spartani faſtum & ſuperbiam Regum abominabantur; quam ſimulatè excuſsit Cleomenes: quinetiam quò Monarchię nominis inſolentiam leniret; Euclidem fratrem ſecum regnare iuſsit, Ephoroſque ſelegit.* Dum Monarchiæ poteſtatem abſolutam à ſe relegabat; pleniùs verſipellis habebat: etenim frater imperij quaſi conſors, cum Ephoris quos elegit, nihil eligebant, quod ille non elegiſſet: ita ut apud illos eſſet poteſtatis auctoritas, & apud Cleomenem tota auctoritatis poteſtas: gaudentem inſolentià Monarchæ, & interversè relega-

Tacit. *Unde in ambitu doloſe, modeſtiæ affectatio?*

Plutarch.

Idem.

Emblema arrogantiæ dominantis.

10

to nomine: quo artificio omnia ad lubitum diſpoſuit; quaſi nihil poſſet & nihil ageret.

10 Elucet ſimulatum embolium; dum aliquid actum, quod non cecidit in ſinum. Præ ira nec lapis immotus, nec requieſcet flatus corde. Movebuntur omnia fundamenta terræ, in quod movet poſt imperium aviditas imperandi. *Poſt tot vexationes, cives Syllam Conſulem deſignarunt* (refert Philipp. Briet. *Ann. V.C.* 675.) *at ipſe quaſi imperium pertæſus, alios obtulit creandos, & Dictaturam depoſuit. Vir incredibilis audatiæ, qui nihil timuerit. Itaque dimiſsis lictoribus & ſatellitibus, in publico cum amicis apparuit, paratus etiam factorum ſuorum reddere rationem: verùm parata habebat centum viginti ſuorum miliam, quos ditaverat honoribus; præter alios facinoroſos, quibus vivere, & incolumen eſſe Syllam, expediebat.* Hic Magiſtratum reliquerat? Conſulatum hic & Dictaturam contempſerat? Fugit onus, nequaquam munus, inſolentior ampliore poteſtate, ubi receſsit ab honoris nomine: igitur quaſi nil ageret, cunctis imperabat, per Conſules quos elegerat: qui quidem modò aliquid decernerent illi ingratum, excluderentur Magiſtratibus ad nutum; cum paratum haberet facinoroſum exercitum: cuius expediebat inſolentiæ, ſine imperij nomine tyrannum florere, cum imperij poteſtate. Aptè Martial. *lib.* 11. *epigram.* 6.

Briet.

Quomodò poteſtate potiuntur ambitioſi ſine poteſtate.

——— *Sylla cruentus*
Imperium tradet, cùm poſiturus erit.

Martial

Haud vivere valent ſine dominatione, ſemel regiminis prægustatà dulcedine. Cogitant artem, qua nihil fiat, niſi quod illis congruat: etenim licèt poteſtas deficiat; per deſignatos in honorum electionem, continuant callidè tyranicam poteſtatem.

11 Phraſis ſingularis invenitur in Scriptura, de qua ſæpè alibi egimus; nimirùm: *Dominantes in poteſtatibus ſuis.* Tigurin. *Viri potentià celebres, conſilio ingenij ſui, & intelligentiæ.* Idem Maluend. Quidni dicitur: *Dominantes poteſtate*, ſed *in poteſtatibus, & ſuis*? Quia ambitioſi habent callidè dominationes per poteſtates ſuas, ſine iure poteſtatis. Poteſtas eſt in honores eligentibus, quin alij intereſſe poſsint in electionum opus. Acuit aciem oculorum œſtrum dominandi, ut dirigant etiam ubi nequeunt intereſſe: & intelligentia ingenijque conſilio, ſine dominatione, eſt in ſuis poteſtatibus inſidioſa dominatio; quoniam ad eligendas in nundis dignitates, ipſi ad placitum eligunt electores. Non principandi, dirigendi aut diſponendi ſine poteſtate excogitatur modus, & ingenio invenitur ſuis in electis poteſtatibus; ſequentibus Præſidis partes, ex fœderata ſubiectione factionis: ſine qua demitterentur deſpecti; quoniam ex ſe, nec memoria digni, uti honoris incapaces: qua de cauſa illis conferentur honores, ut iuſſa ex abrupto faciant, & nequaquam ut diſcutiant, ſine intelligentia muneris; ſed perceptione imperantis voluntatis: invenitque faſtus ingenium, qua arte extendatur dominium; quoniam ubi nullam nanciſcuntur poteſtatem, per poteſtates omnimodam acquirunt dominationem.

Eccl 44 3.

Electores nihil agunt, niſi quod illi inſſerunt

Hæc eſt artis opus, non expectare gementes:
Regnantes ſub rege manent, rerumque miniſtri.

Manil. d. 5. a v. 364.

Haccine igitur intelligentia & conſilio, fit ſine electione electio, & in libera, iam ſervili, ariſtocracia una voluntas, & una in uno ſolutiſsima poteſtas. Non dominantur *poteſtate*, ſed *in poteſtate*; quia non dominantur iure. Non *poteſtate*, quoniam non poſſunt dominio; ſed *in poteſtate*, quoniam poſſunt ingenio. Non *poteſtate*, ſed *in poteſtate*, quin potentes circunventionem intelligant, igitur ſine poteſtate poteſtatem uſurpant.

Hoc aſtu, ubi nulla, poteſtas tota.

Quis tam impotens, ac dirus & iniquè ferus
Sortior urnæ, regibus reges dedit?
Quis arbiter crudelis, & miſeris gravis?

Senec in Troad. v. 980.

12 Voracitas utique dignitatum, ingluvies adorationum, inſatiabilitas munerum, inſolentia, ſuperbia, & arrogantia; quibus præcipites in errores eunt, deſiderijs mancipata intelligentia. Palam ſit, quomodò potentes deponuntur de ſede, quoniam deficiunt poſtquam honorificati. *Diſperſit ſuperbos mente cordis ſui.* Cur nam mente cordis, nequicquam corde mentis? Plura dixi, *Tom.* 7. *T.* 1. *D.* 4. *n.* 5. Modò per indicem in aliud acumen. Aſcenderunt ergo potentes in ſedem: exitus ineſt regiminis, cum cordolio; quia nollent quòd ceſſaret dominatio: alter in regimen ſufficiendus, ne throni ſit vacuus locus. In illius aſſumptione, dignitates diſtribuendæ, ad quarum collationum poteſtates, ſignandi ſunt electores. Hìc ingrediuntur ſuperbi, dominandi aviditate; ne remoti, penitus removeantur à regimine. Non eligunt dignos muneris, ſed addictos pravitati factionis. Non quos præclaros conſpiciunt, ſed quos vel è tribio volunt; ut iuxta non merita, ſed placita voluntatis, quibus placet, conferantur honores. Si digni, eſſet cor iuxta cognitionem mentis: quiia

Luc. 1. 51.

Infatuati haud aliud intelligant niſi quod volunt.

indigni, trahitur mens iuxta intelligentiam cordis, quod caret intelligentia; quin diſcernant cæcitate mala aut bona: cordeque mentis nolunt vel intellecta intelligere, quia nolunt eligi, niſi quos habent in corde. Hinc diſperguntur de ſede, cupientes potiri ſine iure poteſtate: igitur non corde mentis ſed mente cordis aſpirant in vota, volentes fieri electiones iuxta cordis deſideria. Qui mente cordis, intendunt in vanitatem: qui corde mentis, in honoris honorem. Illi in ſuos, hi autem in dignos, præut mens intelligit: illi, præut cordi vel placet vel diſplicet, trahentes mentem ad intelligentiam cordis. Qui probi, redigunt cordis inclinationem uſque, ad ſubiectionem mentis, quo ſit legitima electio poteſtatum, dum potentes mente cordis diſperguntur: equidem modò continuentur in turgida poteſtate; nauci pendent, quòd electi vel ſint digni, vel indigni.

Cuncta prout placet, aut diſplicet.

13 Juxta commoda amicos ſumunt & deponunt, reprobant & eligunt, ab honoribus repellunt, vel in munera attollunt. Aliqnid internè pungit, quod in tot contrarietates impellit. Dente rodunt, quod ſubitò plandunt: *Ijdem accuſatores & defenſores* (inquit Hieronym. 2. in Ruffin.) *cùm in alijs probent, quod in me reprobant: quaſi virtus & vitium non in rebus ſit, ſed cum auctore mutetur.* Suffragatur aphoriſmo Stoicus, *epiſt.* 12. *Iſti* (inquit) *qui in verba iurant, nec quid dicatur, æſtimant; ſed à quo.* Non eſt profectò cor mentis, ſen mens cordis: eſt affectus & faſtidium, præut in auctoramen expedit, nullatenùs præut fas licet. Cuncta cunctis licerent, quantumvis nefas, modò ſempiterna apud illos eſſet auctoritas. Dubium tangit Tacitus, 3. *Annal. cap.* 30. *Fato potentiæ* (inquit) *rarò ſempiternæ, an ſatias capit, aut illos cum omnia tribuerunt; aut hos, cùm iam nihil reliquum eſt quod cupiant.* Diſſolvitur facilè enigma. Invenitur, qui aliquid deſideraret poſt omnia; & cuncta ad nutum perficeret, cum nihil ageret.

Hiron.

Senec.

Tacit.

Quod non poteſt, vul poſſe, qui nimiùm poteſt.

Senec. *in Hippol v.* 517.

Potens quidem ſui non eſt; qui non potens poteſt plus: maximè ſi ubi poteſtas non intervenit; ipſam fortunam in poteſtate habet. Unde de Alexandro apud Curtium, *lib.* 10. *cap.* 5. *Temerè in pericula vectum perpetuà felicitate protexit.* Aptè Lucan. d. 2. à v. 145.

Q Curt. *In impoſſibile audacia, favente fortunà.*

Tunc data libertas odijs, reſolutaque legum
Frenis ira ruit. Non uni cuncta dabantur.

Lucan. *d.* 2. *v.* 145.

Intelligitur modò illud Ieremiæ: *Quia plus fecit, quàm potuit; iccircò perierunt;* de quo *Didaſc. ſeq. n.* 14. Hæ ſunt *Reliquiæ cogitationis*, quæ inſoleſcenti diem feſtum agunt. Hebr. *Furor, & reliquiæ furoris.* Sermo eſt de Sennacherib. qui ex potentia in Ægyptum, non potuit quicquam in Ieruſalem. Omnia poſſe, fuit cogitatio inſolentis: ultrà poſſe, facere; reliquiæ cogitationis: & cùm non poſſet quod facere cogitabat, ex reliquijs cogitationis ita corde tabeſcebat; ut propter amiſſam tyrannicam poteſtatem, ex furore poteſtatis eruperit in furorem.

Ier. 48. 36.
Pſal 75. 11.
Hebr.
E furore proceditur in furorem.

Convenit hoc illis, quibus eſt permiſſa poteſtas.

Ruf Feſtor *fab.* 23.

14 Alijs etiam modis, ne impediatur meditati moliminis opus, ſolet potentiam tragula arietare fortium animos: & verè tragula, dum univerſis ſparguntur verba bona, verba conſolatoria, ſpes in aere pendulas, commodi vacuas, feſtivo ore, cordeque pallace, vel nefarios mulcentibus, vel optimis ad ſpeciem adulantibus; ut punctis poſsibilis dignitatis ſcabie, ad plenum poſsint illudere. Præparaveram (ait præ potentia vafer) quod tuis meritis aptè reſpondet: ſed tot interventiones occurrunt, ut neſciam, quid fiet. Videbimus, cordis es. Recorderis. Eia, intereſt profectò tua: ne labatur à memoria. Alij, Deſtinaveram honori; at ſunt plures creditores, imò æmuli. Anceps vagor inter utrumque. Plura dicunt, neſcio verum. Vide quid egeris: per me factum. Sic alia & alia futilia; imitantibus Alexandrum, cui omnes ſerviebant, & ille vitijs & vanitatibus omnium. *Ubi officia ex favore dantur, ibi res malè cedunt* (ait Campanell. *de Monarch. Hiſpan. cap.* 13.) *tantoque peius, quòd officiales maiores officia minora ijs vendunt, qui deinde illis ſibique furentur.* Dixerat priùs Sariſber. 6. *Policrat. cap.* 1. *Hi delinquunt confidenter. Fur leges timet: huiuſmodi Magiſtratus quicquid fecerint, legem putant. Lex furem deterret ab illicitis: hi ad illicitum malitiæ ſuæ compendium, legem trahunt.* Quorſum pro tunc quum longè & averſus animus; complacere dicis gratia occurrentibus & omnibus? An quia ſperat hinc caricas, illinc amygdalas, & undecunque cupedias, bellaria, tragemata in ſtruthea & coluthea? Expectat de fructibus Solis & Lunæ ſelecta poma? Speret undique mala, perfidiæ digna: igitur evanido voto, & pectore vacuo;

Ars, placere cunctis, ut ſeducantur ſallacijs.

Camp.

Sariſb.

Cuius vilis intuitur, & neceſſarius quaſtus.

Im-

Immenſæ vocis gemitus, & pondere lapſi
Pectoris arma ſonant, confractique enſibus enſes.

Lucar. 7. v. 572

15 Quorſum vox: Et malos & bonos introduc huc? Admittendus eſt in ſedem, qui meritis non habet veſtem nuptialem; ut poſt ingreſsionem gratis, mittatur in tenebras exteriores? Quo intuitu volitabit honoris decus, quando muneris indignus? *Conſtet pondus ac menſura probabilis; quia cuncta turbantur* (ait Caſiodor. 1. *Variar. epiſt.* 10.) *ſi integritas cum fraudibus miſceatur. Mutilari certè non debet, quod laborantibus datur: ſed à quo fidelis actus exigitur, compenſatio imminuta non præſtetur. Non poteſtis omninò, non poteſtis nomina integritatis dare, & ſceleſtas imminutiones efficere. Quod benemeritis impendimus, incorrupto munere conſequantur. Sic inter ambigua mundi, evidens ordo; pulchra diſpoſitio, cognitio ſimplex, immobilis ſcientia; quæ & ſuperna continet, & terrena cuſtodit.* Aliàs in ordine confuſió Babelis, & decumanæ lites. Habuerunt duæ fœminæ, quarum una filij expoſiti mater vera, alia pro matris honore impoſita; verùm iudicij rectitudine expulſa. Davidi ad ſpeciem videtur puerulus, ut conſtaret cuius opus. Renuit mater vera, conſenſit intruſa; tuncque huius cognita mala cauſa equidem pravum iudicium, ſi optaret ad præmium, quę nihil in acquiſitionem laboravit; cum illa quę tot tantiſque laboribus atque doloribus peperit. Æquale enim inæqualibus prętnium; non pax, ſed mittere gladium. Pateſcit theatrum ambitæ poteſtatis, atque fallaciæ ambitionis; ſæpeque cum prudentiæ velamine, & fuco eximiæ virtutis: quod uti Durius equus, repletum dolis; quin pro ſumma poteſtate ac continuatione vel in lubrico præceps titubet:

Propter inhabiles benemerentium mutilantur honores.

Caſiod.

3. Reg. 3. 24.

Æquale præmium inæqualibus meritis, non honoris, ſed cauſa litis.

Nec quod confundat & iura & nomina ſentit.

Ovid. 10. *Metam fab.* 9. *v.* 49.

DIDASCALIA IV.

Potentia impunis, effrenis.

A multis ægrè fortuna fertur.

1 SUnt multi, à quibus fortuna difficilè fertur; ſed inſaniores, à quibus nec ſecunda quietè portatur: videtur illis nullam habere, ni inſaniant, ni maieſtate deſipiant; oſtentantes excellentiam poteſtatis, per ſatellites furores: *Secunda fortunà in ſuperbiam prolapſi, pulſique inter barbaros*: ait Tacit. 11. *Annal. cap.* 17. Hoc in auctoritatis ſignacula decus, & tantùm adſtrepi quibat inter barbaros uſus: etenim pro maieſtate oſtendere vultum horroris, nequaquàm eſt rationalis: *Hic impetu acer, qualem ipſum eſſe natura voluit* (infit Senec. *epiſt.* 41.) *ſpecioſus ex horrido; cuius huic decor eſt: non ſine timore aſpici.* Inſignis auctoraminis commendatio ex ferociori vultu, quo Caligula iactabunde pingebat maieſtatis imaginem! Deus avertat è terris & citò huiuſmodi peſtem. De Ægypti labyrinthis refert Plin. 36. *cap.* 13. *Cœnacula excelſa, intus columnæ, Deorum ſimulacra, Regum ſtatuæ, monſtrificæ effigies. Quarumdam talis eſt ſitus; ut adaperientibus fores, tonitrum intus terribile exiſtat.* Grandis profectò maieſtas, pro Regibus inveniri ſtatuas, pro Dijs effigies monſtrificas, quæ procelloſè ingredientibus attonant, & ſine fulmine in adoratores detonant! Siccine qui ſolicitat crepitaculis plauſum;

Tacit.

Senec.

Arbitrantur auctoramen, vultus horrorem

Quales effigies in Ægypti cœnaculis?

Captat riſus hominum.

Horat. 2. *ſatyr.* 4. *v.* 83

2 Tacitus, *d. lib.* 4. *cap.* 20. præmittit, videns tantas, quas in tempore moderaminis fortuna lubrica permutat vices: *Dubitare cogor (fato & ſorte naſcendi, Principum inclinatio in hos, offenſio in illos) an ſit aliquid in noſtris conſilijs? Liceatque inter abruptam contumatiam, & deforme obſequium, pergere iter ambitione ac periculo vacuum?* Erravit ut Ethnicus ſignans fato, quod à Principum pendet arbitrio. Rem acu tetigit Phocion, ut in eo refert Plutarchus. In Republica Princeps bonus, malus malis, malus verò malis bonus. Quapropter Plaut. Prolog. *in Pſeudol.* à verſ. 3.

Tacit.

Unde in benemeritos odium malè regentium, & contrà?

Ut mala mali, qui boni bona.
Bonos quòd oderint mali, ſunt mali:
Malos quos oderint boni, bonos eſſe oportet.
Vos boni ſemper odiſtis malos, & lege.

Plaut.

Non alia utique cauſa, ut in bonos pravorum Principum excitentur odia, & in ſceleſtos propenſè excitetur gratia. Similes ſimilis quærit, atque diſsimiles odit. Similitudo mater amoris, ac triſtis diſcordia litis: gaudetque graculus graculo & corvus corvo, ac adverſatur cycno.

Conſcia mens ut ſua cuique eſt, ita concipit intrà:
Eſt aliquid magni crimen abeſſe malis.

Ovid 1. *Faſtor. v.* 485.

Cogitatio Magnatum ſine lege (quoniam vita proborum loco cenſuræ) eſt circumventio virtutis, & inſidiæ probitatis: *Contrarius eſt operibus noſtris, & inutilis nobis. Improperat nobis peccata legis; & infamat in nos peccata diſciplinæ noſtræ.*

Sap. 2. 12.

Ad

Ad unguem Senec. *De alterius vita, de alterius morte diſputatis. Ad nomen magnorum ob aliquam eximiam laudem virorum* (ſubdit, *de Vita beat. cap.* 19.) *ſicut ad occurſum ignotorum minuti canes, latratis. Expedit enim vobis, neminem videri bonum, quaſi aliena virtus exprobatio delictorum ſit.* Ægrè fertur etiam exprobatio tacita, quoniam ſtimulantur conſcientia, & cum virtutem nec facie corrupti agnoſcant, canes rabidi quaſi ad incognitam latrant.

Senec. *Virtus vitiorum exprobratio tacita, & cenſura publica.*

3 Haud ſolùm ſatagunt latrare, ſed etiam in deducus virulente mordere: equidem quicquid virtus habuerit pretij, illis eſt pondus opprobij: & languor auctoritatis, auctoritas quælibet undecumque virtutis. Unde huiuſmodi pravitas? Influit ab indignis, ex ſorte præſumpta à munere, auctoritas; quoniam in cunctis, etſi non habitis, volunt honorari ut Superiores. *Relinquitur ſuſpicandi locus, ſe dumtaxat reſpicere dignitatem*: ait Plato, *lib.* 1. *de Republ.* At quid in huiuſmodi furorem, quòd reſpiciant ſolummodò dignitatem? Quia ſine meritis ex ſola dignitate ab illis quæritur gloria, quæ labore acquiſierunt præclara merita: & cùm nanciſci non valent, ſpectabiles dotibus latrant & mordent. Claudian. in Nuptijs *Honor & Mariæ*, od. 1. v. 30. & 3. v. 10.

Plat. *Cur dotatis neceſſcindin... fugeret?*

Claud.

Collo poſcit vincula libero.
Quæ iam rabies livoris erit?
Vel quis dabitur color invidiæ?

Sic illud Calliſthenis (apud Plutarch. in *Alexandr.*) cuidam interroganti: *Quanam ratione celeberrimus homo fieri poſſit?* reſpondentis: *Si illuſtriſsimum virum interficeret.* Aude aliquid carcere & ſtigmate dignum, ſi vis eſſe aliquis. Hæccine indignorum merita; quia vita probi probitatis cenſura, & virtutis fama & gloria. Se Galba ſubtraxit à concurſo Palatij; *ne quid materiæ præberet Neroni*: ait Sueton. in eo, *cap.* 9. ubi Schild. *Nempè* (ait) *ad odium vel ſuſpicionem, aut utrumque potiùs. Tyranni enim virtutes, quibus ipſi carent in alijs oderunt. Viros omnes, quos ſua virtus in quocumque genere reddit inſignes, in vulgo gratioſos, pro hoſtibus habent.* Adi Tacit. *in Agricol. cap.* 39. Qua de cauſa *ob factiones accuſatorum, Calpurnius Piſo ceſsit urbe.* Idem 4. *Annal. cap.* 21. Patet crimini; privati hominis nomen ſupra Principis attolli. Unde Marc. Seneca, *controverſ.* 9. infit: *Si immeritò abdicaſti, odi patrem tot eijcientem innocentes. Si meritò, odi domum tot facientem nocentes.*

Plutarc. Sueton. Schild. *Vitia gradus in pravorum aſceſu.* M. Senec.

4 Suffragetur ſententię doctrina Magni Gregorij. Saul cum eſſet parvulus in oculis ſuis; conſtitutus eſt in caput, ſumma maieſtatæ honoris. Verum poſt dignitatis faſtigium, oculis ſuis, philautiæ ſpeculis, ſe obijciebat tamquam maximum; quoniam ut ſe Superiorem vidit, ſuperbiæ tumore, culmine poteſtatis excrevit. *Parvulum ſe in ſuis oculis priùs viderat* (inquit, part. 2. *Paſtoral.* cap. 6.) *ſed fultus temporali potentia, iam ſe parvulum non videbat: cæterorum autem comparatione ſe præferens; quia plùs cunctis poterat, magnum ſe præ omnibus æſtimabat. Plerumque dum ex ſubiectorum affluentia animus in luxum ſuperbiæ inflatur; ipſo potentiæ faſtigio lenocinante, corrumpitur.* Adi *T.* 8. *n.* 13. & *T.* 12. *D.* 3. Voluit quia ſuperior poteſtate, in cunctis ſuperior eſſe; quod minimè oſtendet in faſtu dignitatis auctoramen, ſed inflatum mentis impotem: igitur intimè pupugit, ſubditum maximoperè laudari, privatumque nomen ſupra Principis extolli. Unde dotes dehoneſtabat, geſta minuebat; quaſi encomiorum & meritorum culmen, eius deflorarer ex honore auctoritatem: at cum famam & plauſum ſuffocare circunventione non poſſet; perſequi ac demum interficere decrevit.

1. Reg. 15. 17. Gregor. Mag. *Invidus ſuperior, meritorum perſecutor.*

——— *Sontibus parent boni:*
Ius eſt in armis: opprimit leges timor.
O machinator fraudis & ſcelerum artifex!
Virtute cuius bellicà nemo occidit,
Sed dolis & aſtu maleficæ mentis.
Inſontes Deos prætendis? Tui facimus pectoris eſt.

Senec. *in Hercul. fur. v.* 251. & *in Troad. à v.* 749.

5 Quid non cogitaret, ut caderet præceps ſubditus glorioſus (licèt de ſe præclariſsimè meritos) ubi larva & religionis ſpecie ab invido patre filius expoſitus morti? Inſignæ prodigium à cœlo patratum, dum ſingulari virtute Jonathas ſtationem tranſivit Philiſthinorum. *Factum eſt miraculum in caſtris.* Saul cum videret ſtragem, quaſi cœlo demonſtraret gratitudinem, cunctis certantibus indixit ieiunium, & expreſsit in præcepto ſinciput læſum; impediens conſumatam adipiſci victoriam, qua de cauſa filius trimphans dixit: *Turbavit pater meus terram:: defatigatus eſt Populus nimis.* Ubi exercitus regitur ſimili ex poteſtate imprudentia; pro victoria ſunt neceſſaria miracula. Ex iubilo cordis (ab hoſtium cæde, inſignique clade, Ionatha revertente) in caſtris audiebatur ad plauſum, Iò triumphe. Cantabant pæana, diſponebant epinicia, bona victori, atque felicia precantes; quod minimè conſonum auribus

1. Reg. 14. 15. Verſ. 29 & 31.

bùs Regis. Ea propter ut aliquam ex victoria parta adipiſceretur famam, lividè decrevit ſequi victoriam: at ſubſtitit à propoſito, divino ſilente Oraculo. Crimen ſuſpicatus, & præut erat punctum pectus, ſic locutus: *Vivit Dominus, Salvator Iſrael, quòd ſi per Ionathan filium meum factum eſt; abſque retractatione morietur.* Quare igitur inter tot duces militeſque, queis exercitus conſtabat; Ionathan victorem tantummodò nominat? Ex invidia contracta, victoris auditá gloria; cùm eius plauderetur nomen, patre ſuperiorem poſsidente poteſtatem: equidem cùm ab invidio ſibi ſuperior applicetur honor, ſi maieſtate Superior; poteſtatis ſuperioris arbitratus eſt dedecus, quod plus illo plauderetur, quamvis uictor eſſet filius. Moriatur & ſine retractatione. Haud facilè decreta reſcinduntur invidiæ. Gloriam patris obumbrabat, qui miraculosè vicerat. Plauſus Superiorem pupugit: & mori filium victorem decrevit; ut non haberet rivalem, qui Superioris ſuffocaret nomen: etenim haud pruriet invidi vomica pectoris; modò qui plauſus, quantumvis filius, removeatur ab oculis.

Tabeſcit livore, indignus, ſi aliorū audierit plauſus. Verſ. 39

Ovid. *Epiſt.* 12 v. 75.

Perdere poſſe, ſat eſt, ſi quem iuvat ipſa poteſtas.

6 Chryſoſtomus contemplatur articulum & *Ad popul.* Homil. 14. ſignat *temerarium* & *à diabolo ſuggeſtum in præcipitium. Tyrannidem hinc diabolus ſtruebat.* Profectò, regiminis habenas tenente livido: equidem tantùm diabolus illi ſuggerere poterat, ad cuius victoriam cœlum prodigia patraverat: atque fecerat cum armigero ſolus, quod cum copijs, qui damnabat, adoriri non eſt auſus. Tyrannidem diabolus ſtruebat, ubi per invidi furorem virtus peribat: igitur tyrannis diabolica, poteſtate diſſolutà, damnatà innocentia; quòd ab illo (qui debebat eſſe pater) deſtinaretur morti, qui virtute atque triumpho debebat plaudi. *Morte morieris Ionatha*: dixit. Quare? Non quærenda cauſa à livido corde, percito vanitate, ſatagente nominis, ex meritis dignitatis, fruſtrato à concepto faſtu; quin quid feciſſet ut triumpho. Serviebant Hebræi illotunc Palæſtinis dirè tyrannis, quorum Ionathas animos fregerat inſolentes. A patre Præſide, famæ victoriæ inhiante, atque furore præcipite, deſtinatur ad interitum. A diabolo namque temerarium conſilium: etenim dumtaxàt à malignitate diaboli, vel ab homine poſſeſſo prorsùm à dæmone, cogitari quibat feſtinanter tradi in mortem; per quem ſubditi prementem relegaverant tyrannidem, atque diram duramque excuſſerant ſervitutem. *Abſque retratactione morietur. Ad quod nullus contradixit.* Dirior tyrannis habentis dominium, quàm gravis Philiſthinorum; quippe hæc in hoſtilitate & armis, & illa in ſubiectionem rationis: nulloque contradicente temerario ac præcipiti iudicio (tyrannide poteſtatis) claret ſuggeſtum à diabolo: tyrannis næ truculenta, ubi à Præſide ex poteſtate proponuntur deliria, quòd furoris formidine, vel mulcente auctoritate, ullus è conſiliarijs nec audeat hiſcere.

Chryſo. *Ex diaboli ſuggeſtione iræ miniſter, qui debebat eſſe pater.* Verſ. 44. *Livor gratias arbitratur iniurias.* Ver. 35. *Unde lividi, ex poteſtate tyrannis.*

7 Haud refragatum; quia neſciebant, unde lividi fulmen iturum. Cognoverunt; ſed ita perculit ex poteſtate ſola temeritas pravi Præſidis iudicij; ut fronte apertà, non perfrictà, ſuperiori reſiſterent poteſtati. *Ergòne morietur, qui fecit ſalutem hanc magnam in Iſrael? Hoc nefas eſt; vivit Dominus, ſi ceciderit capillus de capite eius in terram; quia cum Deo operatus eſt.* Haud timuerunt offendere Regem, etſi viderent poteſtatis furorem; quo per nefas multabantur merita, queis dignus & vità & gloria: equidem dumtaxàt phreneticus, poteſtate fultus, dæmoni mancipatus, poterat ducere in mortem, filium inſignem, triumphantem, hoſtium victorem, cuius virtute nil plus; cuius vel in illa die erat plauſus Iſraël. Quicquid congeſtum à ratione in libertatem iuvenis (illo in articulo penitus innocentis) erat ſtimulus in furorem patris. Quare morietur? Nonne ab illo & per illum parta victoria? Ad mortem quæ maior cauſa? Iudicabat & cum poteſtate invidia. Nefas erat mori, ſed præ gloria tabeſcente poteſtate: & ne defloreat Superioris in culmine dignitatis auctoritas; quid quòd nex perpetraretur per nefas. Minoris ſanè quòd cadat turpiter ſubditus, quàm quòd eius gloria non honoretur Prælatus. Crimen ſanequàm ſubditi glorioſi ſplendor, modò ex illo Præſidis marceſcat honor: congruitque interfici, ne ſumma poteſtas exauctoretur honore: equidem ſi excellit aliquis (quamvis ſit filius inſignis, virtute, dotibus & meritis ſpectabilis) cum illum ſignet ſolio & infulis minorem; qui Superior ex throno amittit auctoritatem: ægrèque plauſu, applauſu, ac celebritate inclytà tolerat tabidus livor; quòd qui non dignitate, meritis fulgeat Superiore ſuperior. Eſt delicata maieſtas, verùm livoris pravitas: quæ impulit filium in exterminium tradere; cuius gloriam atque famam, oportebat uti pater totis viribus defendere: & enixim apponere plenà poteſtate conatus; ne illius tangeretur vel capillus. Dialecto noſtra: *No havia de*

Verſ. 45. *Prælatus invidus phreneticus, & dæmoni mancipatus.* *Unde naſcatur Prælatorum invidentia?*

de permitir por la honra que le daba; ni tocarle al pelo de la ropa.

Verſ. 43.

8 Malignitatem paterni pectoris qui Superior occultabat; ſed articulus promebat. Quid filius & victor fecit? *Guſtans guſtavi in ſummitate virgæ paululum mellis, & ecce ego morior*? Hoc dignum morte? Quamvis eſſet, neſcienter egi. Non erat cauſa, verùm ſententiam Superioris fulminabat invidia: & cùm damnationem actorum non eſſet entitas, qui livore furioſus, tendit manum in puiſquilias. *Mos perverſus Iudicum, qui tamen in animis Superiorum altius inſedit* (inquit Campanel. de *Monarch. Hiſpan.* cap. 13.) *qui quamvis aliquem innocentem ſciant in re nihilominùs nullius momenti condemnant.*

Th. Cápanell.

Inſubditis famoſis, vel quę nullus momenti accuſantur à Prælatis.

Odium à livore conceptum non quærit aſtu cauſam, ſed cauſæ per colores apparentiam, Res nullius vel leviſsimi momenti, at ſufficiens fomiti invidiæ; quæ minimè quieſcit, quouſque ſplendorem ſuffocet, aut accipiat ſine æmulo ſolus plauſus, qui Superior à fortuna conſtitutus: equidem quod ſubſtantiæ deficit in fulminatas abſque ulla entitate cauſas; ſufficiet promptè ingenio malignitatis poteſtas. Hinc miratur Ionathas, qua ex levitate (ſi ulla modò) in exterminium ſumeretur occaſio: *& ecces*? Mors & ſubitò? & *Ego*? Ego ſine intermiſsione in morte, qui hodie miraculosè ſervis contuli libertatem? Ignorat malignitatem patris, puncti ſtimulis livoris, & quam nequit exponere, vomicam pectoris; cui pharmacum expectat à poteſtate, præclaro filio cadente: igitur quòd factum prodigium; quòd Numine iuvante, conſeruiſſet prælium; quòd hoſtibus intuliſſet cladem; quòd ſocij exuiſſent tyrannicam ſervitutem; & demùm quò à cunctis plauderetur ob victoriam accendebat acriùs patris Superioris iram: aliàs ni intercederet Superioris auctoritas & dignitatis poteſtas; minimè auderet ſine cauſæ entitate ad necem quærere cauſas.

Quanta vis eorum livoris!

Propugnat nugis armatus.

Horat. 1. *Epiſt.* 18 v. 16.

9 Diſplicuit ſummè, ex quo primùm audivit, quod tot encomijs congregatio Iſraël filium victorem extolleret: igitur licèt Principem & in throno collocatum; cœlum, ipſum deſignabant indignum. Quid facerent propè ſubditi, dum vel in armis irridebant Allophili? Ut illi fama cederet, vafer perculſus occaſionem exploravit; & ad votum, ne pravitas cognoſceretur, invenit. Sciverat ieiunium indictum ab illo temerariè, filium victorem, eſtò neſcienter fregiſſe: verùm licèt vulnus ex plauſu intùs dolore pruriret, uredinem diſsimulatione tacuit; tranſgreſsione prætermiſsâ, quia vel illi viſa futilis cauſa. Conſultum de fuga hoſtium, & nil reſpondit Oraculum. Introrsùm geſtiebat, quippe ſe iam vindicem cogitabat. *Videte* (dixit cunctis) *per quem recciderit peccatum hoc hodie. Vivit Dominus, Salvator Iſrael, quia ſi per Ionathan filium meum factum eſt; abſque retractatione morietur.* Filium dumtaxàt ſignat, ubi peccatum, quod quiſquilium, notat: dicitque *Peccatum* & *hoc* & *hodie*, ut tutò vindicetur dolor ex vulnere invidiæ. *Adeò penitùs hoc ſe malum fixit, ex aliena opinione pendere; ut in ſimulationem etiam dolor venit*: ſubdit Cordubenſ. de *Animi tranquill.* cap. 15. *Peccatum*, quod notat Numen offenſum. *Hoc*: conſtat planè quàm enorme; ubi nequit diſsimulari à iudice patre. *Hodie*: impudentem deſcribit audaciam, quippe hodiè offenſus, qui hodiè conceſsit victoriam. *Videte per quem acciderit peccatum hoc hodie.* O pectus plenum livoris amaritudine, circumſtantium ſeductione! equidem ſuam cordis vindicabat ex plauſu conceptam iram; quaſi vellet ulciſci Numini illatam offenſam. Concepit ex gloria filij dolorem, atque pravitas colore zeli peperit iniquitatem: filiumque dignum diademate, deſtinat morti; ut ſeſe vindicet, & eius zelum plaudat, qui ſutelam non cognoſcit: perculſus zelo (imò ſtimulatus à diabolo) oſtentabat ad ſpeciem, legis perfractæ colorem; & ſeſe iniuriæ divinæ vindicem: quandoquidem ita audaciam pater ægerrimè tulit; ut in placationem Numinis, filio proprio non pepercerit. Fregiſſe ieiunium, erat deſpectus in patrem: peccatum, erat dehoneſtatio in Numen; quod ſine meritis filio conceſſerat è cœlo lauream victoris: aſtuque damnatur filius; ut patris fictus clareſceret zelus: igitur tutà conſcientià, pœnam dictante iuſtitià, patris Regiſque ultrò iniurias indulgebat; ſed prætermittere Numini factas nequibat. Denique. Pectus Præſidis iudicis ſaucium erat invidia; & ab illo proclamatur religio læſa, atque graviſsimo crimine. *Videte per quem acciderit peccatum hodie.* Non novum in livoris cordolio, uti ſiccine malignitatis ingenio: etenim invidus (cum poteſtate furioſus, ſed impunis in regimine) dum nequit ſpecie criminis, ulciſcitur expedirè velamine ac titulo religionis. Floridè Lucret. 3. de *Rer. natur.* à v. 72.

Occaſionem explorat lividus, ut tollatur qui rioſus,

Verſ. 38.

Seneca.

Embolia in epitaſim cauſę apparentis religionis hypocriſis deteſtabili.

Crudeles gaudent in triſti funere fratris.
Macerat invidia, ante oculos illum eſſe potentē,

Lucret.

Il-

Illum adſpectari, clarus qui incedit honore:
Ipſi ſe in tenebris volvi cœnoque, querūtur.

10 Arte, ac multoties vel ſimulant vel diſsimulant gratiæ fictione; ut pòſt acriùs exardeſcant aptiore opportunitate: interimque dotibus ſpectabilis eximiè ab invidente laudatur; ne quid in cautionem à perfido ſuſpicetur. *Compoſuerant primo alia* (ait Hegeſipp. 1. de *Excid. Hieroſolym.* cap. 4.) *quibus fidem Ariſtobulus non detulit, & obtrectationem mollivit charitatis gratià, invidiæ tribuens delationis amaritudinem. Ideò falſa veris admiſcuere; ut ex his quæ ad ſpeciem veri aſſumpſerat, renitentem circumvenirent.* Cognoſcitur innocentia; ſed gungit invidia, quæ ſi vincit, etſi technis, inſoleſcit: ſi vincitur, perſiſtit procacior, quin impellatur causà, ſed potentia, etiam in delirijs impunita, atque lenocinijs fota. Unde Senec. in *Hercul. furent.* à v. 395. accinit:

Hegeſipp.

Quod nō valet in ſiaijs, appetunt armis furoris.

Cuncta ſine legum metu, quas arma vineūt.
Pauca pro cauſa. Arma non ſervant modum:
Nec temperari facilè, nec reprimi poteſt
Strictus enſis. Bella delectat cruor.
Quæritur belli exitus, non cauſa.

Senec.

Quam vertetur in partem, qui videt nonnumquàm ſtrictum enſem; & ſumma deſpoticà poteſtate, gladium in manu furioſi? Ex patienti tolerantia, maior iniuria. Qui veterem tolerat, in novam invitat: equidem in miſerijs non ſubſiſtet ex pena livoris; quippe ni glorioſus pereat, peræſtit cauſa cruciaminis. Succinit Boetius, 1. dè *Conſolat. Philoſop.* Metr. 15. à v. 79.

— Premit inſontes
Debita ſceleri noxia pœna.
At perverſi reſident celſo
Mores ſolio, ſanctaque calcant
Iniuſta vice colla nocentes:
Iacet obſcuris condita virtus
Clara tenebris: inſtuſque tulit
Crimen iniqui.
Nil periuria, nil nocet illis
Fraus, mendaci compta colore:
Sed cùm libuit viribus uti,
Quos innumeri extollunt populi
Summos gaudent ſubdere Reges.

Boet.

11 Hæc officia potentium, ubi alienà glorià perſtricti cæcutiunt: qui quidem abutentes præ livore poteſtate, cauſas quærunt à furore. Quia aſſeruerunt tres pueri ampliorem maieſtatem, nempè divinam, & deſpexerunt derdiculam maieſtatis ſtatuam; in fornacem ardentem, ut abſumerentur flamma, mitti, tunc Nabuchus *præcepit in furore & in ira.* Id eſt, per Hendiadym: *in ira furoris.* Quo etiam intuitu Senec. *Epiſt.* 18. inquit: *Immodica ira gignit inſaniam. Ingentis iræ exitus furor eſt.* Quodnam præceptum in furoris ira? Quod iniuſtè præcipitur poteſtatis inſolentià, quæ cauſam in vindictam iniuriæ concepta quęrit; cęterùm illam non invenit. Eſt ira, ſi offenſa illata: furor, ira ſine offenſa: & in ira furoris dicitur ab inſolente præceptum, ubi nec ille explorans vidit peccatum; ut conſtaret perveniſſe auctoritate in dementiam, plectens innocentiam citra cauſam: igitur ſine crimine ſolicitans ex poteſtate cruciamen, habuit pro cauſa furentis iræ furorem. Aliter. Si crimen in ſubditis invenitur, qui iudex meritò iraſcitur. Verùm proculdubiò erit ex poteſtate phreneticus, quando pro crimine invenitur clara virtus: in iræque furore præcepit mitti in fornacem, in quibus non aliud invenit Nabuchus, niſi virtutem; quoniam extremus furor, iubere uti crimen plecti, quod ſi mens eſſet, opportebat honorare. Proprietas elucet invidi, dum eius non adoratur maieſtas, & maior uti cœleſtis, celebratur auctoritas; quippe rumpitur, ſi alius plus Præſide plauditur.

Daniel. 3. 13. Hendiadys.

Seneca.

Exitus, iræ furor eſt.

Plectere virtutes iudicit ſignat furorem.

Qui vultur iecor intimum pererrat,
Et pectus trahit, intimaſque fibras,
Non eſt, quem lepidi vocant poetæ;
Sed cordis mala, livor atque luctus.

Petron. in *Frag.* Carm. 9

Hoc vulnus adimit ſenſum, & medullà evacuat cranium, impellens iracundum in furorem; dum virtutem perſequitur quaſi crimen, & ſplendet maior honor, quo creſcit intimè & extimè furor: in iraque furoris præcipitur plecti ut crimen, phantaſticæ maieſtatis, virtute cognità inficiari adorationem; quippequàm indicat carere mente, propter virtutem iraſci. Eximitur machæra abſque ulla cauſa, quia ſtridet invidia, pro concilianda ſuperiore auctoritate, ſine dotium ſplendore; quo impelluntur ut ſuffocent, quos (quamvis præſint) æmulari non valent.

Totus conatus livoris in exterminium florentis.

Quoſdā præcipitat ſubiecta potentia magnæ
Inſidiæ: mergit longa, atque inſignis honorū
Pagina.

Iuven. Satyr. 10. v. 56.

12 Malignitatis propoſitum perſiſtens in lividis (maximè ſi non meritis, ſed inſulis Superiores) patuit ceu in ſpeculo, ex exitu Iſraël de populo barbaro; qui tyrannè conſuluerunt quomodò dignatos à Numine perderent, & ſibi haudquaquàm conſuluerunt, ne perirent. Rex ac illorum Præſes livore percitus (eò quòd pro populo à Numine electo, Moyſès ſignis ac portentis celebrabatur præclarus) conſtituit in angorem inferiores præſides; quoniam

Aſtu invidiæ.

acrius

acrius vexamen per præſides inferiores. Ut effugerent catenatam tot laborum tractibus ſucceſsivam à Præſidibus moleſtiam; elegerunt, ductore Moyſe, precipitem fugam, non valentes inſolenti reſiſtere poteſtati; quod Ægypti; ægrè tulere: equidem Præſidium conamen, illos habere in perpetuam ſervitutem: qua de cauſa nec plagis domiri illos decreverunt perſequi; inveneruntque illos veſperè, & ut reducerent: expectarunt uſque manè. Tunc Angelus qui caſtra in columna præcedebat, *ſtetit inter caſtra Ægyptiorum & caſtra Iſrael: & erat nubes tenebroſa, & illuminans noctem; ita ud ad ſe invicem toto noctis tempore accedere non valerent.* Fulgura & fulmina emmittebat Angelus è columna verſus Ægyptiorum caſtra; illuminans fulgore mirabili Hebræos, quos multiiuguis ſignis honeſtaverat Dominus. Unde nubes tenebroſa & clara, ſignans accepti populi chariſmata, & cœli gratias; ac lividorum palpabiles tenebras: quandoquidem invidos in præcipitium excæcat, qui ſplendor dotium viros inſignes illuſtrat. Fiunt enim viæ illorum tenebræ & lubricum, tamquàm chaos; & Angelus Domini arctè perſequitur eos.

Exod. 1 20.

Splẽdor alienus excæcat invidos.

13 Pergunt per mare, qui fuerant ſervi Præſidum ſubditi; & cum exercitu conantur qui dominabantur, etiam perſequi per mare. Sunt profectò furioſi. Cœlum fulmina mittit, & nequaquàm retrocedunt? Modò exerceant inplacabile odium; nec reputant in periculis periculum. Cœlum tyrannide oppreſſos fovet, & malignantium audaciam compeſcit: cæterùm non ceſſat lividorum ira, neque defervent à furore corda: equidem averſio truculenta pectoribus permanebit; quantumvis adverſus eos & cœlum fulmina vibret. Debacchantur fanatici, infatuati vel attoniti phantaſticà poteſtate, quaſi votis eorum putridum cor nocere valeret; quos cœlorum gratia etiam fulminibus protegit: ſed livor ita viſcera fodicat, bilem irritat, mentem excæcat; ut illos perſequantur, quamvis pro eis totum cœlum corruat, vel irruat. In propoſito irrevocabiles permanent, & magis quò digni valent, & vires livoris rident; dum conantus ſuffocare merita, quæ vexatione celſiora, haud reſpicientes immines præcipitium, ex perſecutione natum: igitur ira ex furore livoris perpetim continuabitur, donec vita cum iniqua poteſtate ſuffocetur. Eſt enim illis morbus merita perſequi per effrenem impunitam poteſtatem; quandiù livoris fœda prurigine vixerint: quin nova illis aquis ſuffocatio accidat, dum vità ac malignitate privat: etenim præ virulento livore, totà vita laborarunt ſuffocati. Valuit, ſed non prævaluit auctoritas poteſtatis.

Verſ. 23

Semel concepto odio, nec miraculis, erroris & furoris inſeritur pœnitudo.

Effectus livoris.

Nec ſapiunt invidi, quamvis pereant in certamine.

Claud. de Bell Gildon. v. 108.

Ipſa nocet moles.

Ierem. 48. 36.

14 Hic eſt exitus inſolentis lividi, in perniciem inſidiante poteſtate. *Quia plus fecit, quam potuit, iccircò perierunt.* Unde quit eſſe factum ultra potentiam? Non excedit lividi cum poteſtate phantaſiam: igitur illi videtur poſſe facere, quod nequit fieri. *Ignoravere vire ſuas* (ait Senec. 6. *Benef.* cap. 30.) *& dum ſe tam magnos, quàm audiunt, credunt; attraxere ſupervacua, & in diſcrimen rerum omnium perventura bella.* Connotatur poſſe licitè, & abſolutè poſſe, quia quæ licita dumtaxàt debent eſſe poſsibilia rationali. Nihil enim in facto poteſt fieri, modò in illum potentià deficiente: quapropter quod illicitum in ipſo facto notatur ut impoſsibile; uti dixit Iaſon Medeæ v. 566.

Seneca

Idem.

Aude quicquid potes, Medea, quicquid non potes.

Si poteſt, quando rectum. Si non poteſt fieri, quando illicitum factum; ex quo in potente auctoritatis periculum. Eſt ſcena invidi pectoris, inſidiantis præclarorum dotibus, maligno corde ac virulentis viſceribus; atque ſolicitantis ſuffocare nomen, quoniam habet Superioris poteſtatem, qua ſibi videtur ex iure famæ atque vocis honor; quia non meritis, ſed dignitate Superior. Cogitat vexationem auctoritas, excitat potentia ærumnas, haud reputat nefas: nequit facere, quod nequit licitè fieri: & perit, dum plus facit quam facere potuit; quoniam quando fama ſuffocari intenditur, eius fama & etiam vita miſerrimè ſuffocatur. Poteſtate eſt uſus, ut dotium famæ aliquod impingeret dedecus. Afflixit ut deprimeret, vel opprimeret; ceterùm etiam Superioris auctoritate non valuit; quamvis in exterminium & cogitaverit & fecerit pluſquàm potuit. Crevit honor, pondere, adinſtar palmæ: hoc illi decus: quo magis premitur altiùs tollit onus.

Conantur invidię furore, quod nequit fieri.

Sed fruſtrà

Raviſ. Text.

Omnibus his celebrem dedit virtus inclyta famam.

Quint valerent impoſturę, ex vaniſsima dignitatis poteſtate; quoniam impoſturę à malignitate, atque livore cognitæ.

Virgil. in Ætn.

Hæc eſt mendoſæ vulgata licentia famæ.

15 Non dubium, ut ait Herodotus *lib.* 3. *n.* 18. *Satius eſſe, invidioſum eſſe, quàm miſerabilem invidum.* Cauſam affert Plaut. in *Truculent.* Act. 4. ſcen. 2. à verſ. 30.

Plaut.

Mavelim mihi inimicos invidere, quàm me inimicis.
Qui invident, egent: quibus invidetur, rem habent.

Gloria eſt, cæterùm amara: etenim ut in *Medea*, v. 294. inquit Euripides: *Nocet æſtimatio; & fama, magna mala attulit.* Faciet invidentia plus quàm poſsit. Ni excelleret, Scipio à Roma non exularet. Eius geſta & fama erat Magiſtratum umbra: neminique (potiùs ſi poteſtate & conditione vilis) placet eius honorem ſine explendore habitare in tenebris: illique videtur potiri Solis flammà, ſi removetur umbra. *Perverſi homines malunt contemnere videri præclara, quàm diſcere. Nos quoque patere morſibus plurimorum, qui ſtimulante invidia, quod conſequi non valent, deſpiciunt*: infit Hieronym. 2. in *Ruffin.* Facile remedium in huiuſmodi ludibrium, contemnere nempè contentum: cæterùm moleſtiſsimum; quod qui debebat præ dignitate gaudere, & pro viribus plaudere, toto cordis anixu conetur perſequi. Durum porrigi venenum, à quibus præparari ius erat, alexipharmacum: igitur maior iniuria (parmis mutatis in pila) dum furenter oritur à iuris & legis inviolabili cuſtodia. *Deteſtabilis eſt omnis iniuria, & quicquid contra leges admittitur; iuxtà execratione damnatur* (infit Caſsiodor. 4. *Var.* Epiſt. 27.) *ſed malorum omnium probatur extremum; inde detrimenta ſuſcipere, unde credebantur auxilia provenire.* Needùm reſpondimus plenè argumento Didaſcaliæ, ut conſtet per temerarias ac præcipites iniurias, quàm effrenis impunita poteſtas: ſequens ut parergon delicabit, quod præſens, quia nimis protracta, ſiluit: vagatur furor.

Euripid

Inſignis geſtis fama, eximia gloria, ſed amara.

Hieron

Grave, ſi percutit lancea, unde afflictus perabat cuta.

Caſsiod

Virgil 3 Georg. v. 4.

——Quis aut Euryſthea durum,
Aut illaudati neſcit Buſiridis aras?

DIDASCALIA V.

In iuvenibus imperium, frequenter ad præcipitium.

1 Quid enim indignius, quàm florere quoſdam & fortunæ abuti indulgenter inſolentia; quibus nulla ſatis mala poteſt inveniri, vel cogitari fortuna? Obvia venit, vel ut mentem adimeret occurrit; ex cuius aſpectu qui non expectabat, nec iure poterat, deſipit; extendens cogitationem ad poteſtatis inventæ dulcem prheneſim: igitur pungit, ſcire, & uſque in inſaniam; quid ſit habere cum poteſtate fortunam. Quorsùm ſacri inviolabilis tribunatus decus, ſi non conceditur uſus? Blandimen eſt phantaſiæ, tutò inſanire, accepto plauſu ex opprobrio; quin pro dignitatis decore admittatur conſilij præcipitis retractatio: etenim potentium nefas, ni propugnetur furoris auctoritas. Debetur honor, ſi auctoratus furor. *Electi non minùs exiſtimant turpe, quam vinci* (inquit Cordubenſ. 6. de *Benef.* cap. 30.) *& perpetua credunt, quæ in ſummum perducta, maximè nutant. Illos in præceps agit extincta libertas, & fides in obſequium ſervile demiſſa; dum nemo ex animi ſui ſententia ſuadet, diſſuadetque, ſed adulandi certamen eſt, & unum amicorum omnium officium, una contentio; quis blandiſsimè fallat*: & ut accinit Virgil. 3. *Georg.* v. 3.

Cur inſolenter exercetur poteſtas?

Senec.

Unde potentis infatuatio?

Virgil.

Cætera quæ vacuas tenuiſſent carmina mentes.

Poteſtate delirat; quoniam fortunam, quam nec optabat, ludentem & volitantem videbat; promittens ineptijs imperium glorioſiùs relicturum, quàm acceperat imperium; cum eſſet in caduteo (ut dictum à Lamprid. de Heliogabalo) *Opprobrium dignitatis, atque publicum ludibrium.* Quia Herculi ab aulicis Alexander præferebatur; ab eiſdem illuditur, quaſi cœlum mente vanà complecteretur: & ad eius vecordiam temerarij regiminis, unus non ſufficeret orbis. *Quid enim Herculi ſimile habebat væſanus adoleſcens; cui pro virtute erat felix temeritas?* Ita Senec. d. *lib.* 1. *cap.* 13. Iurè Homer. 7. *Odiſſ.* verſ. 294.

Æl. Láprid.

Iuvenilis ætas eſt dominatione deſipit.

Senec.

Homer.

Semper iuniores deſipiunt.

2 Utique, verum in principatu ex poteſtate ſtulteſcunt, præcipites procedentes vel per infamiam, volentes in lubricis probate fortunam. Quis melior Saule? *Non erat vir melior illo*: ſtatura corporis, virtuteque dotium in vacuum principatum ſuper cives eminebat ab humero & ſurſum. Verum qualem habuit exitum? Quodnam vitæ regimen, ut aſcendit in deſperatam dignitatem? Frequenter enim in regimine labat, cui dignitas contingit, quam nec ipſe ſperare valebat: hinc ille fanaticus debacchabatur furenter in dignitate; tamquàm arreptitius & poſſeſſus à dæmone. Unde ſi ut melior à Domino electus, exivit ita malignus? Multoties accidit in thronum aſſumi-

1. Reg. 9. 2.

Ibid. 10 24.

Peſsimi ſubditi caſtigantur peiore Præſide.